Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Christoph Grebel

Interpretatio Nova Loci Matth. XII, 31. 32. : Peccato Christum Et Spiritum Sanctum Vulgo Explicati Proposita

Dresdae: Harpeterus, 1781

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786/phys_0001
DFG

Fc - 1419. 1-12

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786/phys_0003
DFG

INTERPRETATIO NOVA

LOCI

MATTH. XII, 31. 32.

DE

PECCATO IN CHRISTVM ET SPIRITVM SANCTVM VVLGO EXPLICATI

PROPOSITA

A

GEORG CHRISTOPH GREBEL

DRESDAE

LITERIS HENR. GVIL. HARPETERI

cIↃIↃccLxxxI

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786/phys_0007

DFG

In legendis interpretationibus variis loci Matth. XII, 31. 32. mutis difficultatibus adhuc affecti, aliam reperi rationem ad eas infringendas, quam in hac commentatione tradam eo fine, vt ab aliis interpretibus plane diſpellantur. Primo proponam opiniones aliorum ad dandam optionem: adiecta deinde explicatione mea, argumentis, quantum fieri potuit, confirmata.

Sententia Hieronymi primum tenet locum in comment. in Matth. c. XII, m. 32. ſic diſſerentis: „Qui ver„bum dixerit contra filium hominis ſcandalizatus carne mea „& me hominem tantum arbitrans, quod filius ſim fabri; „& fratres habeam Iacobum & Ioſeph & Iudam; & homo „vorator & vini potator ſim, talis opinio atque blaſphemia,

„quamquam culpa non careat erroris, tamen veniam habet „propter corporis vilitatem. Qui autem manifesto intelli„gens opera dei, quum de virtute negari non possit, eadem „stimulatus invidia calumniatur; & Christum deique verbum „& opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub: isti non dimit„tetur neque in praesenti seculo neque in futuro.“ Haec expositio doctissimi viri, ab antiquioribus & recentioribus interpretibus fere omnibus recepta, non contemnenda est: in demonstratione enim significationis verborum τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ morem loquendi sequitur N. T. de Christo ea exponentis; Marcus tamen generatim de maledictis hominum agens huic explanationi adversari videtur. Perinde est, voces και ος εαν ειπη λογον κατα τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ sive de Christo sive de hominibus contumelia lacessitis interpreteris: quoniam Pharisaei Christum, consentiente Hieronymo, filium Iosephi tantum habebant. Sed explicat notionem vocabulorum πνευμα αγιον de operibus dei & Spiritus sancti, quae tamen Christus semper patri adscribit. De ea interpretatione, quae nunc libros Theologorum occupat nimis extensa nec satis certa & clara hic nihil reperitur. Regno Christi plane excludit Pharisaeos. Omnibus tamen temporibus inuenti sunt homi-

homines mali, qui operam Spiritus ſancti, quomodo in epiſtolis Apoſtolorum praecipue occurrit, diu detrectarent; nihilominus eos vidimus ad ſanam mentem redactos: cuius rei tam experientia quam ſacrae literae ſunt teſtes.

Grotius & interpretes recentiores cum eo facientes magnam partem ab Hieronymo diſcedunt; tum in declaranda vi verborum και ος εαν ειπη λογον κατα τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ, quae de probris aliis obiectis accipiunt; tum in Ebraeorum loquendi modo ab iis admiſſo: Facilius veniam conſequetur is, qui in homines, quam qui in deum eſt iniurius. Voces autem πνευματος βλασφημια Grotius ſummo ſtudio ope comparationis loci Act. V. mendacium Ananiae enarrantis multumque a noſtro differentis cum Hieronymo de peccato in Spiritum ſanctum exponere laboravit: at quam ambigue in Hieronymo iam obſeruauimus. Ac mirandum eſt, Grotium opera dei & ſpiritus dei contra intentionem inter ſe commutaſſe atque ſignificatum vocabulorum πνευμα Θεȣ in membro 28. vbi ea de virtute diuina interpretatur, in noſtro loco de Spiritu ſancto explicaſſe, fortaſſe loco Act. V. de Anania ei ante oculos obuerſante. Praeterea melius homines & deus, peccata in homines & in deum,

deum, minus apte Christus & Spiritus sanctus, iniuriae in hunc atque illum sibi inuicem opponuntur.

Venio ad explicationem meam, vbi verba graeca sequor Bengelii in N. T. in iis nihil mutandum arbitrans: 31. Δια τϐτο λεγω υμιν, πασα αμαρτια και βλασφημια αφεθησεται τοις ανθρωποις· η δε τϐ πνευματος βλασφημια ϐκ αφεθησεται τοις ανθρωποις. 32. Και ος εαν ειπη λογον κατα τϐ υιϐ τϐ ανθρωπϐ αφεθησεται αυτω· ος δ' αν ειπη κατα τϐ πνευματος τϐ αγιϐ ϐκ αφεθησεται αυτω ϐτε εν τω νυν αιωνι ϐτε εν τω μελλοντι. Lectione τω νυν multis codicibus & patribus a Millio & Wettstenio in N. T. allatis approbata ac a Bengelio recepta, a Millio, Wettstenio atque Grisbachio autem improbata; totidem fere codicibus iisque optimis & patribus a Grisbachio in N. T. nominatis ab altera τϐτω stantibus, quam praeferam incertus sum: tamen antehaberem τω νυν, quia librarios lectionem τϐτω, sermone, opinor, vulgari magis obuiam in minus obuiam τω νυν mutasse non est existimandum. Voces δια τϐτο cum Grotio ad totam orationis seriem arctissime cohaerentem refero: Vidistis cum populo factum admirandum sanati coeci & muti; ex animo pleno malitiae mihi satis cognito hoc eludere ac diabolo dare conati

estis;

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786/phys_0012
DFG

estis; argumentationibus validissimis edocti me vi diuina egisse si pergatis populum a mandatis a deo acceptis abalienare atque iniuste me tractare, poenas grauissimas luetis; expono igitur: quae cum ita sint. At vocabula αμαρτια και βλασφημια per εν δια δυοιν esse interpretanda collatio Matthaei, ea membro 32. per ειπη λογον κατα & ειπη κατα explicantis, cum Marco, αμαρτηματα cum βλασφημιαι & βλασφημησωσι permutante, euincit: atque transferenda per quamuis aliorum obtrectationem malitiosam. Apud Alexandrinos verbum βλασφημια significatione huic loco conuenienti inuenitur Iesa. LII, 5. ονομα μ8 βλασφημειται εν τοις εθνεσιν, Ebraeam vocem נאץ facere vt quis male audiat, exprimens; & in N. T. de calumniis cum in deum, tum in angelos atque homines; ac apud Lucianum de duobus philosophis non sine conuitiis inter se altercantibus: ολας αμαξας βλασφημιων κατεσκαδασαν αλληλων· praecipue autem iam euoluta notione animi mali per verba se exserentis per orationem superiorem & inferiorem membrorum 24. 33. 34. item per Eph. IV, 31. vbi θυμος και οργη και κραυγη και βλασφημια & per Col. III, 8. vbi κακια & βλασφημια iunguntur. Seiungi etiam posse πασα αμαρτια και βλασφημια, si post βλασφημια subintelligas

πασα,

πασα, non inficior. Caeterum agnosco Ebraeorum morem dicendi cum Grotío in verbis πασα αμαρτια και βλασφημια αφεθησεται τοις ανθρωποις· η δε τȣ πνευματος βλασφημια ȣκ αφεθησεται τοις ανθρωποις, qui ex Lucae c. XXI, 33. comparato cum XVI, 17. apparet; vbi pro eo, quod in vno loco ponit coelum casurum & terram interituram sed praedicta sua euentum habitura, in altero habet facilius esse coelum & terram perire quam leges diuinas non impleri, alias etiam haec sententia obesset sacris literis; & verto: qui alios maledictis proscindit, facilius veniam impetrabit: supplendo ex membro sequenti κατα τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ in significatu hominis cuiusvis deinde adstruendo. Omnis res redit ad vocabula η δε τȣ πνευματος βλασφημια ȣκ αφεθησεται τοις ανθρωποις· ac praesertim ad vim verborum τȣ πνευματος & τȣ πνευματος τȣ αγιȣ in membro altero alterum tantum exponente; quod voces declarant & comparatio cum Marco vnico membro omnia complectente. Collatis his vocabulis cum verbis ει δε εν πνευματι Θεȣ εγω εκβαλλω τα δαιμονια m. 28. patet vim dei mirificam, donum miracula patrandi a Pharisaeis contemtum atque contumelia lacessitum intelligi debere. Significationem autem hanc hic locum obtinere ex

Luca

Lucae XI, 20. facile oſtendi poteſt, has voces commutans cum ει δε εν δακτυλω θεϑ εκβαλλω τα δαιμονια· inde elucet Chriſtum hiſtoriam Pharaonis reſpexiſſe, atque aliam expoſitionem vix tolerari poſſe. Sic occurrit πνευμα inter varias notiones, quas habet Act. VI, 3. πληρεις πνευματος αγιϑ και σοφιας de donis praecipuis Chriſtianorum & extraordinariis: item 1 Cor. XII, 7. Act. XIX, 6. Vt nihil dicam de vulgaribus explanationibus ſaltem obſcurae ſunt atque incertae: quid enim de vocabulis ειπη λογον κατα τϑ πνευματος ſtatuendum ſit aut minus diſtincte eloquuntur, aut aliae hunc ſignificatum aliae aliam vim illis tribuunt. Secundum Auguſtinum peccatum in Spiritum ſanctum pugnat cum officio, donis & opera Spiritus ſancti: hoc ſine dubio omnibus Chriſtianis commune malum, niſi dona ſint miracula. Secundum alios conuictio de veritate & praeſtantia doctrinae Chriſti & odium illius in hominibus adeſſe debet: poſterius quidem at non prius in Phariſaeos cadere videtur.

Progredior ad inueſtigationem ſignificationis verborum τϑ υιϑ τϑ ανϑρωπϑ in membro altero, quam Marcus c. III, 28. me edocuit: poſthabito etiam loco Matthaei, quia dubius erat, etſi non ſatis liceret, veſtigia eius preſſi; quem,

 fateor,

fateor, me in hanc opinionem hactenus confirmatam adduxisse. Voces τϐ υιϐ τϐ ανθρωπϐ plane non habet: hinc iudico, si de singulari maleficio in Christum a Pharisaeis admisso in Matthaeo sermo esset, quod non alibi reperiretur, Marcum id non omisisse. At generatim tantum dicit: παντα αφεθησεται τα αμαρτηματα τοις υιοις των ανθρωπων και βλασφημιαι οσας αν βλασφημησωσιν, atque orationem relinquit incompletam. Itaque quaeritur, quid supplendum sit? ac respondeo, non εις τον Θεον, quoniam sequitur πνευμα αγιον· nec εις τϐς αγγελϐς· nec εις τον υιον τϐ ανθρωπϐ ex loco Matthaei adhuc controuerso, quia alias omnis Christi historia hoc scelere impleta esse deberet, quod Pharisaei Christo semper infensi erant, cum tamen non legatur; & quoniam eos in peius vertisset, si veniam huius peccati tam facilem iis praedicasset; sed ex ipso Marco εις τϐς υιϐς των ανθρωπων aut εις αλληλϐς, quod meo quidem arbitratu optime sermoni Marci respondet, Inde venit, vt τϐ υιϐ τϐ ανθρωπϐ de homine quouis explicarem, atque vulgarem interpretationem τϐ πνευματος τϐ αγιϐ etiam suspectam haberem. Haec Grotii fuit expositio. Addam Xenophontis remp. Laced. ubi in fine ο βασιλευς saepius dicitur de quovis rege, quoniam οι βασι-

βασιλεις sequitur. Ille e N. T. quaedam attulit loca. Nec adversatur notio vocabulorum τε υιε τε ανθρωπε de Christo magis obvia sibique familiarissima, quod Pharisaei eum filium Iosephi profitebantur. Reliquum est, vt pauca dicam ad definiendam vim tum verbi αιων Xenophonti Κυρε παιδειας lib. III. significatu temporis vitae vsitati: καλλιον και ηδιον τον αιωνα διαξεται, tum familiaris Iudaeorum loquendi rationis ουτε εν τω νυν αιωνι ουτε εν τω μελλοντι, quam Marcus loco citato per ουκ εχει αφεσιν εις τον αιωνα αλλ ενοχος εστιν αιωνιε κρισεως interpretatur. Per λιτοτητα libris Sacris non infrequentem etiam exprimi posset: poenas graues dabit. Itaque difficile est dictu, Christum hic opinionem Iudaeorum tetigisse, se partem in altera vita, vt viuant, habituros. Varias significationes vocum αιων ουτος & αιων μελλων, Ebraeorum עולם הזה atque עולם הבא exhibentium, enumerat Meuschenii N. T. e Talm. illust. & Koppe in comment. in Ep. Pauli ad Eph. exc. 1. Totum locum ita transfero: si quis hominibus probra obiicit, facilius condonabitur illi: at qui in signa diuina maledicta dicit, hoc non impune faciet; quod in exemplo Pharaonis cerni potest.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823921786/phys_0017
DFG

itur. Ille e N. T. quaedam attulit loca. Nec
otio vocabulorum τȣ υιȣ τȣ ανθρωπȣ de Christo
sibique familiarissima, quod Pharisaei eum fili-
profitebantur. Reliquum est, vt pauca dicam ad
vim tum verbi αιων Xenophonti Κυρȣ παιδειας lib.
u temporis vitae vsitati: καλλιον και ηδιον τον αιωνα
n familiaris Iudaeorum loquendi rationis ȣτε εν
τε εν τω μελλοντι, quam Marcus loco citato per ȣκ
ς τον αιωνα αλλ ενοχος εςιν αιωνιȣ κρισεως interpretatur.
libris Sacris non infrequentem etiam exprimi
nas graues dabit. Itaque difficile est dictu, Chri-
inionem Iudaeorum tetigisse, se partem in altera
uant, habituros. Varias significationes vocum
ιων μελλων, Ebraeorum עולם הזה atque עולם הבא
n, enumerat Meuschenii N. T. e Talm. illust. &
omment. in Ep. Pauli ad Eph. exc. 1. Totum
ransfero: si quis hominibus probra obiicit, faci-
habitur illi: at qui in signa diuina maledicta dicit,
mpune faciet; quod in exemplo Pharaonis cerni